

scribit Apostolus Rom. 3. v. 24. : *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.*

*Inst. 1.* Ex disciplina primævæ Ecclesiæ constat, ante expletam satisfactionem non fuisse datam absolutionem sacramentalem; nam INNOCENTIUS I. in epist. ad Decentium cap. 7. (Lab. t. 2. p. 1247. D.) scribit, tunc debere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. LEO M. epist. 82. (al. 108.) ad Theodorum ait, eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admittendos esse; ergo.

*R. N. Cons.* Quamvis Ecclesia eo tempore, quo vigeat pœnitentia publica, ordinarie absolutionem peccatoribus gravibus distulerit usque ad tempus expletæ satisfactionis; nunquam tamen judicavit, satisfactionem istam ex necessitate sacramenti præcedere absolutionem debere; nam præter insinuatum nuper mortis articulum, datam fuisse absolutionem nondum præstita satisfactione pluribus casibus nos monumenta veterum docent, ac 1º. quidem, cum periculum erat, ne propter dilatam absolutionem pœnitentes ad hæreticos vel schismaticos deficerent. Ita Cyprianus epist. 52. ad Antonianum. 2º. Instante tyrannorum persecutione, idem S. Cyprianus epist. 54. ad Cornelium, de pace lapsis danda. 3º. Cum spes erat, hac indulgentia vel plures ad Ecclesiæ gremium reversuros, vel extinguendum schisma esse. Ita S. Cornelius Papa epist. inter Cyprianicas 46. et ipse Cyprianus epist. 19. ad Caldonium. 4º. Ad commendatitias Confessorum, Cyprianus epist. 16. 5º. Cum pœnitens egregia signa vehementis doloris demonstrabat. Ita S. Gregorius Nyssenus epist. canon. (opp. t. 1. p. 1946.) et Concilium Ancyranum can. 5. Tom. 1. Conc. pag. 1458.

*Inst. 2.* Ecclesia tribus prioribus seculis peccatores, qui post vitam potissime in vitiis transactam sacramentum absolutionis in mortis articulo poscebant, ad illud non admisit; ergo probabilis intelligimus, morem istum ab Apostolis et a Christo ipso profectum esse. *Antecedens* patet ex S. Cypriani epist. 52. ad Antonianum, ex Concilii Arelatensis I. can. 22. (Lab. t. 1. p. 1429. C.), ex Innocentii I. epist. 1. ad Decentium c. 7. (Lab. t. 2. p. 1247. D.) et Leonis M. epist. 91. al. 108.

*R. N. Ant.* Ad cuius probationem

*R. 1º.* S. Cyprianus cum cæteris Africæ Episcopis statuit, ut lapsi in idolatriam non reciperentur ad absolutionis sacramentum in articulo mortis, si illud usque eo petere distulissent, eo quod sera ista pœnitentia non sincera videatur; non autem quod absolutionem, quæ ante satisfactionem perfectam conferretur, invalidam esse censeret; nam sub finem libri contra Demetrianum scribit c. 25. pœnitentiam, ne sub ipso quidem vitæ temporalis exitu et occasu seram esse: veniam confitenti dari, et ad immortalitatem sub ipsa morte transiri.

*R. 2º.* De eisdem apostatis loquitur Concilium Arelatense, aitque eis quidem S. Eucharistiam, non autem absolutionem sacramentalem negari. Quod confirmatur a Concilio Nicæno I. paucis post Arelatense annis celebrato, canone 13. (Lab. t. 2. p. 35. B.) ubi, *de his*, inquit, *qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita ut, si quis egreditur e corpore, ultimo et maxime necessariis viatico minime privetur.* Viaticum istud appellat absolutionem sacramentalem; nam canone eodem Eucharistiæ communionem arbitrio Episcopi committit.

*R. 3º.* Eadem adhuc clarius testatur Innocentius epist. cit. et epist. 3. ad Exuperium c. 2. (Lab. t. 2. p. 1255. C. D.) *De iis*, inquit, *qui tota vita incontinentiæ dediti, sub finem vitæ reconciliationem poscunt, observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatio est; nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Posteaquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam terrore depulso communionem dare abeuntibus placuit... Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis pœnitentes, miserente Salvatore nostro a perpetuo exitio vindicentur.*

*R. 4º.* Neque Leo M. dum loco cit. ait, sacerdotibus a Christo potestatem commissam fuisse, *pœnitentibus satisfactionem injungendi, eaque purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admittendi*, ullo modo asserit satisfactionem ex necessitate absoluta præmittendam esse reconciliationi sacramentali: nam ibidem addit, urgente periculo mortis, non esse negandam reconciliationem; *Quia*, inquit, *misericiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire.*

*Inst. 3.* S. Augustinus serm. 57. de temp. (al. 255. in app.) scribit: *Parum est, peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit*; ergo veteres videntur dubitasse de veritate absolutionis datæ moribundo, qui pœnitentiam eo distulit.

*R. D. Cons.* Videntur de talis absolutionis veritate dubitasse ex eo capite, quod executio satisfactionis præmissa non fuerit *N.* ideo dubitarunt de veritate talis absolutionis, quod pœnitentia sera raro vera sit *C.* *Datur quidem*, prosequitur idem S. Doctor, *etiam in extremis pœnitentia, quia non potest denegari, sed auctores tamen esse non possumus, quod qui sic petierit, mereatur absolvi... Pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est. Pœnitentia quæ a moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur.* Sermone autem 66. (al. 254. in app.) *Pœnitentia, quamvis sit exigui temporis, si intima cordis amaritudine agitur, non despicitur apud Judicem justum Deum, qui cordis secreta considerat, etc.*

## ARTICULUS VI.

## DE EFFICACIA SATISFACTIONIS SACRAMENTALIS.

241. *Nota.* Cum Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 3. dicat, confessionem, contritionem et satisfactionem esse partes sacramenti, *quatenus ad plenam perfectamque remissionem peccatorum ex Dei institutione requiruntur*; effectus etiam aliquis gratiæ ex opere operato satisfactioni sacramentali est adscribendus, eo quod actio ista aliquo modo procedat a potestate solvendi et remittendi peccata, sacerdoti per confessionem subjecta, et ideo Christi merita et satisfactio specialiter per hanc partem applicentur: neque pars ulla sacramenti sit, quæ non operetur, quod peculiari modo significat.

Quamquam autem certum sit, a pœnitentiæ sacramento effectum gratiæ duplicem præstari, quorum altero remittitur culpa, altero pœna æterna, et aliquid etiam temporalis pœnæ relaxatur; negarunt tamen quondam non pauci, gratiam gratum facientem conferri ex opere operato satisfactionis,

in quantum hæc pars poenitentiae est, ut refert S. Thomas in 4. dist. 16. q. 1. a. 1. quæstiunc. 2. ad 3. in quorum sententiam multi etiamnum concedunt.

Imo Adrianus q. 2. de satisfactione in solutionibus argumentorum, et quidam alii sentire videntur, satisfactionem nequidem remittere poenam ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, quanquam cum majore merito, quod ex præcepto sacerdotis fiat.

242. *Dico I.* Proprius et maxime indubitatus effectus ex opere operato satisfactionis est remissio alicujus poenae temporalis, præter illam quæ responderi posset ex opere seu merito operantis. Ita cum S. Thoma quodlib. 3. a. 28. Theologi communiter, quos citat Suaresius disp. 38. sect. 2. n. 2.

*Prob. I.* Sacramentum Poenitentiae institutum est ad remissionem peccati: atqui pars ista non ordinatur ad remissionem culpæ; ergo ad remissionem poenae temporalis, ut Concilia nos docent; ergo remittet ex opere operato aliquid temporalis poenae.

*Prob. II.* Sacramenta novæ legis efficiunt, quod significant: atqui pars ista poenitentiae significat punitionem peccati et commutationem poenae purgatorii in poenam præsentem; ergo redemptionem poenae vel maxime efficit ex opere operato.

243. *Dico II.* Sacramentalis satisfactio etiam post absolutionem peracta confert ex opere operato gratiam aliquam gratum facientem. Ita S. Thomas q. 90. a. 2. ad 2. Cajetanus in comment., Dom. Sotus d. 17. q. 1. a. 2., et Suaresius, qui thesin hanc dubiam censet, ei tamen utpote favorabili adhæret, tam propter auctoritatem B. Thomæ, quam ob rationes seqq.

*Prob. I.* Si poenitens ante perceptam absolutionem omnia sibi injuncta satisfactionis opera exhibuisset, majorem utique gratiam ex opere operato, tanquam magis dispositus acciperet: atqui satisfactio absolutionem subsequens, nihilominus eum partibus aliis unum sacramentum constituit; ergo totum sacramentum per hanc quoque partem poenitenti melius disposito gratiam majorem confert; adeoque per satisfactionem aliquid gratiæ infunditur, quod antea datum non erat.

*Prob. II.* Pars ista poenitentiae instituta non tantum est in vindictam et remissionem poenae, sed etiam ad medelam et emendationem peccatorum; ergo, cum novæ legis sacramenta idem efficiant, quod significant, dabitur ex satisfactionis opere operato gratiæ peculiare auxilium adjuvans ad emendanda peccata. Atqui in sacramentali effectu auxilium peculiare gratiæ adjuvantis semper conjunctum est cum habitu peculiari gratiæ sanctificantis; ergo probabile est, dari talem habitum etiam ex opere satisfactionis postea præstito.

244. *Dico III.* Satisfactio impleta in statu peccati non confert effectum poenitenti, nisi remota fictione.

*Pars 1<sup>a</sup>.* est contra Marsilium, Medinam, Scotum, et contra eos etiam, qui putant a peccatore satisfieri ex opere operantis posse pro poena temporali. *Prob.* Nullum sacramentum confert effectum specialem sine generali, neque secundarium sine primario, ut constat ex Baptismo et Eucha-

ristia, quæ indigne suscipiens non consequetur remissionem reatus, etiam residui a peccatis olim jam remissis; ergo idem dicendum est de satisfactione post absolutionem in statu peccati peracta.

*Conf.* Remissio poenae temporalis, effectus est supernaturalis, aliquo modo præparans hominem, seu removens impedimentum gloriæ; igitur non decet illam conferri, nisi ei, qui est proportionatus ad gloriam et amicus Dei. Unde status peccati videtur esse obex remissionis poenae tam in sacramentorum usu, quam in exercitio aliorum bonorum operum.

*Pars 2<sup>a</sup>.* traditur a Navarro de Poenit. d. 6. cap. 1. in principio n. 48., Cajetano, Victoria, Petro Soto, quos citat et sequitur Suaresius, rem hanc incertam appellans, licet probabiliorem esse arbitretur. Nam licet satisfactio talis tanquam opus operantis mortuum sit, atque eatenus effectum nunquam consequatur; in quantum tamen opus sacramentale est et applicatio satisfactionis Christi, semper ex se vivum est, et non nisi mortificatum ratione subjecti, ut non possit in eo habere effectum ratione præsentis dispositionis. Igitur sicut opera mortificata reviviscunt recedente fictione, ita et satisfactio ista obice amoto effectum suum sortitur tanquam pars veri sacramenti.

245. *Obj. I. cont. 1<sup>am</sup>. concl.* Remissio poenae temporalis alicujus peccato debitæ effectus est communis omnibus sacramentis; ergo non est proprius satisfactioni sacramentali.

*R. D. Ant.* Remissio alicujus poenae temporalis est effectus per accidens communis omnibus sacramentis *Trans.* quia hoc incertum est, quamvis pie credatur. Remissio alicujus poenae temporalis est effectus quasi per se et ex institutione conveniens omnibus sacramentis *N.* hoc sensu soli poenitentiae, et maxime ratione satisfactionis convenit. Equidem verum est, per absolutionem sacerdotis aliquid etiam poenae temporalis remitti, atque ideo eum, qui obtenta absolutione, ante satisfactionem peractam moritur, mitius in purgatorio haberi: nihilominus residuum poenae ante exhibitam satisfactionem non tollitur, eo quod sacramentum non præstet effectum suum ex opere operato antequam re ipsa suscipiatur; ergo neque pars ejus, proportionem servata. Quanquam non ita necessariam hanc satisfactionem a sacerdote injunctam æstimemus, ut aliis bonis operibus poena redimi nequeat; quem Adriani errorem merito Petrus Sotus lect. 2. de satisfactione reprehendit. Nam ut poenitens satisfactionem imperatam absolvere teneatur; si tamen hanc explere nequeat, aut ante tempus satisfactioni præscriptum alia opera bona aut sacramenta frequentet, poterit sine dubio per satisfactiones congruas a reatu toto penitus sese exsolvere; neque enim impositio poenitentiae cæteris piis actionibus ad satisfaciendum idoneis vim suam ullo modo enervavit.

*Inst. 1.* Si remissio poenae effectus est proprius satisfactionis sacramentalis, ergo si hæc præmittatur absolutioni, et subjectum dispositum sit per contritionem perfectam et per gratiam, effectum illum ante absolutionem consequetur ex opere operato; est enim pars sacramenti, et virtute clavium nititur.

*R. N. seq.* Nullum sacramentum effectum suum sortitur, quod non sit essentialiter consummatum per formam. Deinde remissio poenae est effectus secundarius remissioni culpæ conjunctus; sicut ergo poena ante culpam

non remittitur, ita neque pars ista ante absolutionem potest ad effectum suum sacramentalem pertinere. Denique si contritio, pars potior, effectum suum ex opere operato ante absolutionem non obtinet, quanto minus satisfactio, pars integrans duntaxat? Si quem ergo remissionis poenae effectum nondum data absolutione adipiscitur, adscribi is operi operantis debet.

*Inst. 2.* Absolutio tollit ex opere operato omnem peccati maculam; ergo si satisfactio remissionem poenae tanquam peculiarem sibi praestet effectum ex opere operato, quaelibet injuncta a sacerdote satisfactio omnem poenae temporalis reatum tollit, perinde ac indulgentia plenaria a summo Pontifice concessa; cum uterque faciat totum quod potest.

*R. N. Cons.* Peccati lethalis macula non potest tolli, nisi tota simul: gratia enim aequaliter peccatis mortalibus omnibus et singulis adversatur. Haec autem absolutionis gratia totum peccatum remittens immediate a sacerdote confertur. E contra sacerdos non immediate tollit reatum divisibilem poenae, sed mediante imposita satisfactione divisibili, per poenitentem peragenda. Eodem modo cum Pontifex per indulgentias immediate reatum omnem tollit, opus injunctum se habet ut mera conditio; cum tamen sacramentalis satisfactio sit causa remissionis poenae.

*Inst. 3.* Deus reliquit sacerdoti potestatem commutandi poenam purgatorii in satisfactionem impositam; ergo qui sustinendo poenam a iudice impositam, praestitit satisfactionem, nihil debet amplius. Ita Glossa in c. *Mensuram*, de Poenit. d. 4.

*R. D. Ant.* Deus dedit hanc potestatem sacerdoti servata justitiae proportionem C. ut suo arbitrio disponat N. Deus non fecit sacerdotes dominos, sed iudices; ratio vero iudicii aequitatem postulat. Igitur cum reatus sit finitus, dabitur satisfactio, quae eum exaequet, aut etiam excedat.

246. *Obj. II. cont. 2<sup>am</sup>. concl.* Per unum sacramentum non datur nisi una gratia sacramentalis, ac praesertim in hoc sacramento non confertur alia gratia quam remissiva peccati: atqui satisfactio absolutionem consequens, praesumit gratiam illam jam collatam; ergo non confert gratiam sacramentalem.

*R. D. M.* Per sacramentum omnino jam consummatum posita forma, non datur nisi unica gratia sacramentalis C. secus N. Item, in hoc sacramento non confertur alia gratia, quam remissiva peccati, si totum cum absolutione perficiatur C. si absolutione peracta, adhuc perficiatur integraliter per satisfactionem N. Tunc enim alia adhuc gratia habitualis adjungitur.

*Inst.* Si satisfactio post absolutionem peracta aliquam gratiam sacramentalem confert; ergo illam in statu peccati exhibens peccaret moraliter, eo quod obicem gratiae poneret.

*R. D. Illat.* Peccaret mortaliter, loquendo speculative C. practice et moraliter loquendo, peccaret mortaliter N. Quia effectus iste valde est incertus, ac probabiliter etiam negari potest, ideo practice ac moraliter tantum onus nemini est imponendum. Peccare talem venialiter, probabile esse videtur, eo quod recipiat partem sacramenti indigne, et alicui ejus effectui obicem ponat.

247. *Obj. III. cont. 3<sup>am</sup>. concl.* Satisfactio ante absolutionem praecipua et praestita in statu peccati consequitur suum effectum; ergo etiam ea, quae in statu peccati post absolutionem praestatur.

*R. D. Ant.* Satisfactio ante absolutionem in statu peccati praestita consequitur suum effectum formalem et proximum C. consequitur suum effectum finalem ac remotum N. Effectus satisfactionis proximus ac formalis est, quod concurrat ad integritatem sacramenti, et impleat obligationem a sacerdote impositam: quem quidem etiam praestat satisfactio post absolutionem in statu peccati exhibita. Confessarius enim non tam modum operis, quam opus ipsum praecipit; quod idem in praecipis aliis apparet: neque enim graviter delinquit, qui in statu peccati sacrificio Missae diebus festis assistit: neque usquam extat evidenter grave praecipuum contritionis aut confessionis ei, qui in medio injuncti jejunii menstrui iterum in peccatum incidisset. Sicut ergo satisfactio ante absolutionem in statu peccati praestita effectum remotum et finem suum, seu remissionem poenae post absolutionem demum assequitur: ita et satisfactio post absolutionem in peccato perfecta reatus remissionem solum obtinet, cum per contritionem, vel per absolutionem reviviscit. Quod quidem verum etiam est, licet opus bonum fiat cum circumstantia aliqua venialiter mala, ut cum ex praescripto jejunans excedat nonnihil in quantitate cibi et potus, aut cum vana gloria id praestet, modo formam servet jejunii: nam actio ejusmodi quoad substantiam bona est ac poena delicti, habetque se tanquam instrumentum, quo Christi satisfactio applicatur. Exemplum nobis praebent baptismus, qui peccaminose susceptus, recedente tamen fictione poenam omnem cum culpa remittit, et confessio ipsa aliaque sacramenta, quae venialiter peccando obita gratiam nihilominus conferunt.

## CAPUT VI.

## DE INDULGENTIIS.

## ARTICULUS I.

## DE SUFFRAGIIS.

248. *Nota I.* Haecenus de satisfactionibus propriis poenitentis. Aliae autem species satisfactionis sunt suffragia et indulgentiae: per illa satisfit ex opere operantis, per has ex opere operato. Nomen autem suffragii bifariam sumitur, primo quidem magis ample, pro subsidio, quod sibi fideles mutuo praestant, precationibus praesertim, ad quas hortatur B. Jacobus epist. cap. 5. v. 16. *Orate pro invicem, ut salvemini.* Et S. Paulus c. 15. v. 30. ad Rom. scribit: *Obsecro vos fratres..., ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Jobi etiam ultimo v. 8. ait Deus: *Ite ad servum meum*